



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Quid iuuenibus longæ vitae fiduciam facist?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

na conseruare; scit quid vitandum, quid in opem vocandum sit. Juuenes è diuerso, omnia tuta putant, quia nondum sciunt anguem in herba latere. Quæ ergo non vident, non timent. Quæ non timent, etiam vltro appetunt & sestantur. Quin & vi-ribus ac valetudine freti, omnia audent. Dum ergo senex sibi attendens parciùs bibit; juuenis intrepide cymbium Herculis exhaerit. Non illum aér, non aquæ terrent; volat, natat, nul-lum metuens profundum; subit aggeres, excipit ignes; & si ho-sis deest, hostem sibi facit prouocando. Quare sicut infantes sine nutrice citò cadunt, ita juuenes sine solicitudine periculi periculis se permittunt. Nutrix si adest, tenet ruentem; sic se-nes ipsa sua se cura retinent in vita; dum juuenes incurij obuijs casibus capiuntur. A cocis solet peti similitudo. Illi si ollam ha-bent veterem, debilem, exustam, attentissimè eam tractant, le-ni motu, & vtrâque manu foco apponunt, ne frangatur: at no-vam ac recentem dum fidentiùs incuriosiusque reponunt, fran-gunt. Sic senex, vt olla vetus, sibi ipse attendit; juuenis vt olla recens, sibi ipse fudit, vnde multa audet, multa tentat. Quid mi-rum si citiùs frangatur? Nonnè plures natando juuenes per-eunt, quâm senes? nonnè plures saltando rumpuntur in juuen-tute, quâm senectute? Qui pluries duellis cadunt? qui bellis? nonnè juuenes?

Qui tamen hoc non credunt, nempe se magis de vita peri-clari, sed imaginantur sibi omnes longiorem vitam. Quibus errorem suum robustis verbis inculcat S. Iacobus. Ecce, inquit, Iacob. 4. 13. qui dicitis: *Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & dinceps exterminabitur.* Cur autem hoc non credunt adolescen-tes? cur se in Italianam, Galliam, Hispaniam ituros, magnos in-aulis futuros sperant? ob multas rationes. Nam primò ea, quo-rum nullum adhuc indicium sentimus, non solemus curare; præ-sertim si adsint in contrarium argumenta. Cùm ergo adolescens sanum se ac robustum videt, statim coniicit, non tam subitò se moriturum. O puer imprudens, cur mari tranquillo credis? quan-ta quâm subitò malacia in quantam mutari potest tempestatem?

## VII.

XXX

Secundò

530 Cap. XLVIII. Inuenes mori, nec contra naturam esse,  
Secundò. Id accidit fraude diaboli, pictorem imitantis. Pictor  
enim quædam in tabula ita depingit ut longissimè distare vide  
antur, quæ tamen in eadem tabula sunt, in qua illa, quæ putas  
oculis tuis vicinissima. Sic dæmon sæpe mortem, quæ in propin  
quo, immò jam in tergo est, facit longissimè distantem apparere.  
Hac fraude plurimi impelluntur, ut pessimè moriantur. Tertiò,  
Præsentium bonorum amor ac cura homines ita excæcat, ut non  
videant ea, quæ futura sunt, sed ut identidem terrenis intenti,  
vitam ducant absque metu. Sic simia canes fugiens, dum in aqua  
relucente imagine sua se oblectat & fugere obliuiscitur, capitur.  
Sic dum ocreas piscatorum pice illitas induit & ludic, liberta  
tem amittit. Maximè verò in spem longioris vitæ inducuntur  
juuenes, dum latentes morborum cauñas non vident, neque  
sciunt pugnam contrariorum in se, caloris defectum, & exter  
na pericula, quas tres esse cauñas diximus, ob quas adole  
scientibus mors solet venire ante tempus.

VIII.

Prima & secunda cauña, si secundūm se, & congenitum  
temperamentum spectentur, habent sanè certum à natura tem  
pus ac terminum sibi præscriptum; plerumque tamen is terminus  
à tertia cauña prævenitur & contrahitur. Pugna enim contra  
riorum in homine acuitur ab intemperantia, calor nativus in  
cenditur à libidine & furore; sæpe etiam calore extrinsecus ad  
ueniente calor destruitur naturalis. Quamobrem aut senibus  
sibi magis attendentibus ac temperantibus, neque totos con  
gios animæ suæ superfundentibus, non tantopere timenda mors  
est, quantopere juuenibus; aut saltem his æquè atque illis; quan  
do ijsdem constat principijs corruptionis. Quemadmodum vasa  
fictilia æquè sunt obnoxia periculo, siue noua sint, siue vetusta;  
fictile enim opus, fragile est opus; ita homines pariter omnes  
sunt mortales, & mille periculis expositi, siue sint senes, siue ado  
lescentes. Si enim figuli officinam ingressus videres mensam,  
immò omnem officinam fictilibus vasis refertam, quorum quæ  
dam recentia, & adhuc à furno calida; quædam antiqua; alia  
parua, alia magna; quædam deformia, quædam elegantia; & è  
figulo quereres, quodnam ex illis sit priùs frangendum? respon  
deret sine dubio, illud, quod aliquo casu priùs in terram deci  
derit,